



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Censuris, In Qua Sex Disputationibus De Poenis Ecclesiasticis, deque
Irregularitate fusè tractatur, cum Indicibus necessariis

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

III. Explicatur secunda excommunicatio Bullae de appellantis ad futurum
concilium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76667)

- 3 *Assensus, seu dubitatio interior, si aliquo signo manifesto non declaratur huic excommunicationi non subiicitur.*
- 4 *Qui sine hereticorum credentes in hac clausula excommunicationis*
- 5 *Qui sine hereticorum receptores huic excommunicationi subiicitur*
- 6 *Qui hereticorum defensores*
- 7 *Qui Schismatici*

1 **I**n priori clausula Bullæ aduersus varias personas summus Pontifex excommunicationem fert. Primò aduersus Hæreticos cuiuscunque sectæ. Secundò contra eorum credentes. Tertio, contra eorum receptores. Quarto, contra eorum fautores, & generaliter contra quoslibet illorum defensores. Quintò, contra eos qui hereticorum libros hæresim continentes, vel de Religione tractantes sine autoritate nostra, & Sedis Apostolicæ scienter legunt, retinent, imprimunt, seu quomodolibet defendunt ex quavis causa publica, vel occulta, quouis ingenio, vel colore. Sextò aduersus Schismaticos & eos, qui se à nostra, & Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia perniciter subtrahunt, vel recedunt.

2 Primò in hac clausula excommunicantur hæretici. Hi verò sunt qui pertinaciter credunt aliquod nostræ Religionis, & fidei Catholicæ contrarium, vel de eo pertinaciter dubitant: iuxta Textum in cap. 1. de Hæreticis. & cap. 3. de Summa Trinit. & fide Catholica. Adesse autem debet pertinacia ex Textu in cap. dixit Apostolus. Cap. qui in Ecclesia. 2. q. 3. Quæ ipse sita est, ut firmiter credas, vel dubites de veritate illius, quod ab Ecclesia docetur, ut notauit Melchior Cano, lib. 12. de loc. Theolog. c. 6. circa 4. argum. Sayrus lib. 3. thesauri casuum conscientiarum, c. 4. n. 15. Valq. 1. 2. disp. 2. 6. c. 4. Bonac. 1. 3. de excommuni. in particulari. disp. 1. q. 2. punct. 1. n. 1. & latè diximus tract. 4. de fide, disp. 3. punct. 2. per totum.

3 Hic autem assensus, seu dubitatio si purè interior sit huic excommunicationi non subiicitur, neque etiam si purè sit exterior absque animo recedendi à fide, quia excommunicatione fertur aduersus eos, qui voluntariè à fide exteriori recedunt. Vti pluribus firmat dicta disp. 3. de fide, punct. 2. à num. 1. 6. & punct. 3. ab initio. & tradunt ultra ibi relatos Tolet. lib. 1. sum. cap. 18. num. 5. Sayrus lib. 3. thesauri casuum conscientiarum, cap. 4. num. 1; & 21. Ioann. Chapcauilla tract. de casib. referuatis. 2. p. c. 1. q. 1. Azor. 1. instit. moral. lib. 3. c. 10. q. 3. Bonac. 1. 3. de excommuni. bullæ, disp. 1. q. 2. num. 2. Quinimò satis probabile est immunitatem ab excommunicatione esse, qui est interiori à fide recesserit verbis, vel factis tantum ambiguis, & indifferentibus suam hæresim manifestauerit; quia ea non est sufficiens hæresis manifestatio, cum ex vi illius nec ab Ecclesia reprobatur, iudicari possit Hæreticus, ut aduertit Lessius lib. 2. de iust. cap. 12. dub. 8. num. 128. Bonac. dicta disp. 1. q. 2. punct. 2. n. 4. Alfonso. Viuald. in exposit. bullæ Cæna num. 2. & 3. Sayrus lib. 3. de excommunicatione, particulari. cap. 4. num. 26. Vide quæ diximus d. pun. 3. per totum.

4 Secundò excommunicantur Hæreticorum credentes; hi namque sunt qui eorum erroribus siue in particulari, siue in communi assentiuntur signo aliquo manifesto. Vt pluribus probat dicto tract. 4. de fide, disp. 3. punct. 4. num. 1. Et tradit ultra ibi relatos Archidiacon. in capite quicunque de Hæreticis. lib. 6. Paludan. 4. disp. 13. q. 3. art. 1. concl. 7. S. Antonin. 3. p. tit. 2. 5. cap. 4. §. fin. Syluest. verbo Hæresis. 1. num. 10. q. 7. Sayrus lib. 3. de censuris in part. cap. 5. num. 1. Bonacina 1. 3. de excommunicatione in particulari, disp. 1. q. 2. punct. 3. Et probat Textus in cap. excommunicatos. §. credentes, de sententia excommunicat. Ex cap. excommunicamus. §. fin. eodem tit. Hi credentes etiam confusè verè Hæretici sunt; quia hæretici errores amplectuntur, & sub excommunicatione aduersus Hæreticos lata comprehensæ erant; atque maioris charitatis gratia expressi sunt. Vti notatur Archidiacon. in cap. quicunque de Hæreticis in 6. Paludan. in 4. d. 13. q. 3. Syluest. verbo Hæresis. 1. §. 10. Suar. disp. 2. 1. de censuris, sect. 1. num. 6. Tolet. lib. 1. sum. cap. 18. d. n. 5.

5 Tertio fertur excommunicatio aduersus hereticorum receptores. Dicitur autem Hæretici receptor, si animo occultandi hereticum recipias, ne à iudicibus capiat, neve hereticorum pœnas luat. Neque ab hac pœna excusaris; eo quod titulo consanguinitatis, vel amicitie Hæreticum recipias, si ea receptio in hæresis fauorem cedat. Vti probat dicto tract. 4. de fide, disp. 3. punct. 5. num. 9. Aliàs raro, vel nunquam defensor, vel receptor Hæretici in excommunicationem incidet; cum raro ad has actiones moueatur, ut ipse Hæreticus in hæresi perseueret, sed ob debitum amicitie, vel consanguinitatis, aut similes. Atque ita docent ultra ibi relatos Card. Tolet. in explicat. bullæ cæna. §. 1. Sayr. lib. 3. thesauri casuum, c. 5. n. 3. Neque opus est ad hanc excommunicationem incurrandam, quod Hæreticum denunciarum recipias, satis enim est si notoriè Hæreticus sit; quia hæc pœna non in fauorem excommunicationis, sed in detestationem hæresis apposita est. Vti docui d. tr. de fide, disp. 3. punct. 5. in 4. Et ultra ibi

relatos docent Duard. in canon. 1. q. 3. vers. secunda sententia. Filiuc. tract. 1. 6. cap. 2. q. 5. num. 3. 6. & 39. Bonacina tom. 3. de censuris in particul. disp. 1. q. 2. p. 3. in fine. Neque item est opus, ut plures hereticum recipias; satis enim est si semel recipias. Nam esto nomen receptor in sua propria significatione frequentiam significet, iuxta styllum tamen curiæ vsu, & consuetudine receptorum ex vnica receptione receptor iudicaris; quia hæc sufficit ut Hæreticus pœnas hæresis euitet, fauētque lex 1. ff. de receptoribus. & leg. congruit. ff. de officio Praefidis. & leg. fin. Cod. de his qui latrones occultauerunt: & notat dicto punct. 5. num. 4. & ultra ibi relatos pluribus firmat Sayrus lib. 3. thesauri casuum, cap. 5. num. 3. Quod verò aliqui Doctores, ut Sanch. lib. 2. in Detalog. cap. 1. 0. num. 9. Farnacius de hæresi q. 182. num. 102. Bonac. disp. 2. de fide, q. 1. punct. 3. num. 2. & 1. 3. de censuris in particul. art. disp. 1. quest. 2. punct. 3. n. 3. Filiucius tract. 1. 6. cap. 2. num. 30. censent receptorem excusari ab excommunicatione, si de facto consecutus non est, quod media receptione optabat; eo quod Hæreticus fuerit à ludicibus captus, qui à hæc receptio in tantum sub excommunicatione prohibetur, in quantum in fauorem heretici occultandi, & eximendi à punitione cedit; mihi probatum non est; tract. 4. de fide, disp. 3. punct. 5. n. 11. sicut nec Suar. Grassi, & Sayro ibidem relatis: quia saltem eo tempore quo hereticum recipis, & mediâ receptione impedis, ne à ludicibus capiat, tua receptio in hæresis fauorem cedit, tamen si postmodum effectus cesserit Hæretico capto.

Quarto excommunicantur hereticorum defensores; hi nempe qui Hæreticum quatenus talis est, vel eius errores defendunt. Ex qua defensione fit Hæreticum in sua heresi defendere. Quibus autem modis hæc defensio contingat explicat dicto tract. 4. de fide, disp. 3. punct. 5. n. 11. sicut nec Suar. Grassi, & Sayro ibidem relatis: quia saltem eo tempore quo hereticum recipis, & mediâ receptione impedis, ne à ludicibus capiat, tua receptio in hæresis fauorem cedit, tamen si postmodum effectus cesserit Hæretico capto.

Quinto fertur excommunicatio aduersus Hæreticum libros legentes, tenentes, imprimentes, aut quomodolibet defendentes. De qua excommunicatione, & qualiter intelligenda sit latè dixi tract. 4. de fide, disp. 2. punct. 10. per totum. neque aliquid noui addendum occurrit. Et ibi dictis consensit Sayrus lib. 3. thesauri casuum conscientiarum, c. 4. n. 1. Bonac. 1. 3. de censuris, disp. 1. q. 2. punct. 4. per totum.

Sexto excommunicantur in prædicta clausula bullæ Schismatici, nempe qui se à Romani Pontificis obedientia subtrahunt, vel recedunt: quam excommunicationem latè explicat tract. 6. de charitate, disp. 4. punct. 5. & 6. Vide Sayrum lib. 3. thesauri casuum, cap. 5. d. n. 18. Bonac. 1. 3. de censuris in particul. disp. 1. q. 2. punct. 5. per totum.

PUNCTUM III.

Explicatur secunda excommunicatio bullæ Cænae de appellatibus ad futurum Concilium.

- 1 *Statuitur clausula excommunicationis.*
- 2 *Quæ sine persona aduersus quas hæc excommunicatio fertur.*
- 3 *Appellatio debet esse à mandatis, & sententiis summi Pontificis, quatenus talis est.*
- 4 *Plures censent appellantes ab ordinationibus Pontifici, quatenus Princeps temporalis est, huic excommunicationi subiicitur.*
- 5 *Contrarium non videtur probabiliter carere.*
- 6 *Appellantes ad Concilium generale presens, vel prout futurum, non videntur hac excommunicatione ligari.*
- 7 *Excommunicantur ultra appellantes qui eis auxilium, vel fauorem præstiterint.*
- 8 *Sub præstantibus fauorem consulentes non comprehenduntur.*
- 9 *Collegia, Capitula, alique vniuersitates appellantes ad futurum vniuersale Concilium, vel appellationsi auxiliium præstantia interditi pœna ligantur.*
- 10 *Approbantes appellationsem non subiicitur huic excommunicationi.*

Hæc excommunicatio fertur aduersus omnes, & singulos cuiuscunque status, gradus aut conditionis fuerint, qui ab ordinationibus, seu mandatis Pontificis ad vniuersale futurum Concilium appellauerint: nec non eos, quorum auxilio, vel fauore appellatum fuerit. Vniuersitates verò, Collegia, & Capitula quocunque nomine nuncupentur interdiciuntur. Hæc excommunicatio prius lata fuit à Pio II. anno 1479. Kalend. Februar. in bulla incipiente Excebatilis, quæ est tertia eiusdem in ordine bullarum, quàmque Iulius II. in extraneis suscepit regimini confirmauit, & extendit contra Reges, Cardinales, Communitates, & Parliamentas, & contra omnes ad hoc præstantes consilium, auxilium, vel fauorem.

favorem etiam indicere, ut tradunt Sylvest. verb. Excommuni-
cacio 7. in fine. Caetan. eodem cap. 2. 5. Martia. de Ledelina
2. p. 4. q. 2. art. 2. Sayrus lib. 3. thesauri casuum conscient. ca-
pit. 6. num. 3. Tolet. lib. 2. cap. 21. num. 4. Suar. disp. 21. sect. 2.
num. 11.

Personae igitur aduersus quas haec excommunicatio fertur
sunt omnes, & singuli cuiuscunque gradus, & conditionis
existentes qui ab ordinationibus, seu mandatis Pontificis ad
futurum Concilium generale appellauerint, vel appellationi
auxilium, vel favorem praestiterint. Communitates vero
appellantes, seu auxilium, vel favorem appellantis praes-
tantes interdiciuntur.

Appellatio autem debet esse ab ordinationibus, seu man-
datis summi Pontificis, hoc est ab eius sententiis, praecipis,
legibus, censuris, & penis specialiter, vel generaliter latis,
quia haec omnia nomine ordinationis, vel mandati compre-
henduntur. Ut notat Hugolin. de censur. Papa. reseruat. 2.
p. cap. 1. vers. quinto. Duart. lib. 2. in canon. 2. quast. 7. num. 6.
Bonac. 1. 2. de censur. disp. 1. quast. 3. pun. 2. num. 2. Neque
opus est mandatum esse iustum, ut sic appellans in excom-
municationem incidat; nam siue mandatum, & ordinatio
iusta sit, siue iniusta, si ab ea appelles excommunicatione inno-
datis, quia iniustitia mandati non impedit iniuriam appel-
lationis. Nam cum appellatio sit de minore iudice ad maio-
rem provocatio. Ut tradit Glossa ab omnibus recepta in
cap. non putamus, verbo officiali de consuetud. lib. 6. appellans
ad futurum Concilium esse appellatio a mandato iniuste sit,
manifeste denotat Pontificem Concilio esse inferiorem, quod
est a veritate alienum, iniuriamque grauem Pontifici irrogat,
ac proinde excommunicatione iustissime innodatur, ut tra-
dit Suar. de censur. disp. 21. sect. 2. num. 15. Reginald. lib. 9. num.
2. 6. ad finem. Et aliis relatis Bonac. disp. 11. de cens. bulla coena
q. 3. num. 10.

Sed an appellantes ab ordinationibus, seu mandatis Pon-
tificis non qua Pontifex est, sed qua est Princeps temporalis
haec excommunicatione ligentur? Difficultate non caret.
Nam affirmatiuam partem tenet Bonac. 1. 3. de censur. in par-
ticulari disp. 1. q. 3. pun. 2. num. 3. videntur Doctores commu-
niter approbare, cum huius distinctionis non meminerint,
sed absolute affirmauerint appellantes a mandatis Pontificis
ad futurum Concilium haec innodari excommunicatione.
Et probari potest, quia Pontifex ob iniuriam sibi factam in
haec appellatione excommunicationem proferat. At haec iniu-
ria Pontifici irrogatur per appellationem a quocunque illius
mandatis, siquidem illum esse inferiorem, & subditum con-
cilio denotat. Ergo. Et confirmo, Pontifex potest excom-
municare non solum appellantes a suis mandatis, vel ordi-
nationibus quatenus Pontifex est, sed quatenus Princeps tem-
poralis. Sicuti excommunicat pyratas in suo mari. Pontifi-
cio discedentes. Ergo censeri debet ita factum esse. Tum quia
id eodem in eius favorem. Tum quia excommunicatio fertur
contra appellantes absque vlla limitatione.

Verum est praedicta sententia tenenda, & consulenda sit,
contraria tamen sententia, scilicet solum appellantes a man-
datis Pontificis in causis spiritualibus, vel iis annexis excom-
municari probabiliter non caret. Vt asseruit Bonac. dicta.
quast. 3. punct. 2. num. 3. & docuit Reginald. lib. 9.
sum. num. 2. 6. 3. vers. notandum. Nam esse appellantes a man-
datis Pontificis in causis temporalibus Pontifici iniuriam ir-
rogent, si ipse in illis causis supremus Princeps sit; ac cum id
ex Pontificis munere non inferatur necessario, siquidem po-
test in illis causis a terri Principi subiectus esse, ut potest qui sub
ea conditione dominium temporale concessit, non videtur
sic appellantes, & iniuriam per accidens inferentes voluisse
comprehendere. Et confirmo: Pontifex in hac excommuni-
catione voluit coercere illorum temeritatem, qui futurum
Concilium, ut iudicem Pontifice superiorem provocant, cum
tamen futurum Concilium nunquam possit esse Pontifice
quatenus Pontifex est superior. Ad futurum Concilium, quin-
immo, & Princeps aliquis temporalis superior esse potest Pon-
tifices, quatenus Pontifex dominus est temporalis. Ergo haec
appellatio haec excommunicatione interdicitur. Confirmito
secundo, ex verbis bullae: inquit enim Pontifex, Excommuni-
camos, & anathematizamus omnes, & singulos, & ab ordina-
tionibus, seu mandatis nostris, ac Romanorum Pontificum pro
tempore existentium ad vniuersale futurum concilium ap-
pellantes. Quae verba cum formaliter, & proprie accipi-
enda sunt, intelligi debent ab ordinationibus, & man-
datis Pontificis, quatenus Pontifex est, seu quatenus est Vi-
carius Christi, & Ecclesiae gubernator maxime cum haec
constitutio penaliter sit, quae potius restringi, quam exten-
di debet.

Dubium inquam est; An appellantes ad Concilium gene-
rale praesens, vel ad provinciale Concilium futurum in praedictam
excommunicationem incidant? Affirmat incidere
Gambara de excommunicat. bulla. cap. 2. num. 11. quia in
haec appellatione eadem adest prohibitionis ratio; cum eam-
dem, immo grauior irrogetur iniuria Pontifici appellatione facta.

Ferd. de Castro Sum. Mor. Paris V. L.

Ad ad Concilium praesens generale, & ad provinciale futu-
rum: ac si appelleret ad vniuersale futurum Concilium, vbi
autem eadem est ratio, eadem debet esse dispositio.

Ceterum facis probabile est praedictam appellationem
huic excommunicationi non esse subiectam. Nam in legibus
penalibus ob identitatem rationis non est extensio facienda
ad casum sub verbis legis non comprehensum. Ut pluribus
comprobatur tra. 3. de legib. disp. 5. punct. 3. §. 4. At sub appel-
latione ad futurum Concilium vniuersale non continetur
Concilium vniuersale praesens, nec provinciale futurum, cum
sint omnino distincta. Ergo appellationes ad haec Concilia
praedicta excommunicatione non puniuntur. Neque obest
eandem, vel grauiorem iniuriam hac appellatione Pontifi-
ci irrogari, ac irrogatur appellatione ad futurum vniuersale
Concilium; quia id solum probat potuisse Pontificem
praedictam appellationem excommunicatione punire, non
tamen probat id voluisse de facto. Quod si roges, cur ex-
communicauit appellantes ad futurum Concilium vniuersale,
non vero appellantes ad Concilium vniuersale praesens,
vel futurum. Respondet optime Sayrus lib. 3. thesaur. ca-
sum conscient. c. 6. n. 4. in fine, quia haec appellatio frequenter
est, caque schisma in Ecclesia frequentius introductur.

Ultra appellantes ad futurum vniuersale Concilium ex-
communicat Pontifex eos, quorum auxilio, vel favore appel-
latum fuerit. Requiritur ergo ad hanc excommunicationem
incurrendam: tum vt auxilium, vel favor appellationem an-
tecedat, & illius causa sit, tum vt appellatio subsequatur. Nam
quolibet ex his deficientibus non erit verum vt talis auxilij,
vel fauoris appellatum esse. Sicuti relato Caet. notat Suar.
disp. 21. de censur. sect. 2. num. 16. Nauarr. cap. 27. n. 38. Sayr.
lib. 3. thesauri casuum conscient. c. 6. n. 6. initio. Bonac. 1. 3. de cen-
sur. in particul. disp. 1. q. 3. p. 2. n. 8.

Sub praestantibus favorem consulentes comprehendit Se-
bastian. de Medicis in sum. peccat. cap. 11. q. 78. n. 13. Nau-
arr. cap. 27. num. 8. Gambara de excommunicat. bulla.
cap. 2. num. 10. quia consilium est quidam favor, & auxilium
promouens Consiliarium ad opus consilium praestandum.
argum. leg. quod fauore. Cod. de legib. Sed oppositum rectius
docuit Viuald. in exposit. bulla Coena, num. 18. Sayrus lib. 3.
thesauri casuum conscient. vbi de excommunicationibus specia-
libus cap. 6. num. 6. Reginald. lib. 9. praxi. num. 2. 6. 3. Suar. disp.
21. sect. 2. num. 17. Bonac. rom. 3. de censur. in particulari disp. 1.
q. 3. punct. 2. n. 9. Etenim sub auxilio, & favore comprehendit
non potest, partim quia iudum consilium excitat tantam vol-
untatem Consiliarij ad conuenientia operis proposita. auxi-
lium vero, & favor opus exequendum promouet: partim quia
Pontifex quocies vult in sua constitutione consulentes com-
prehendere, illos exprimit, vt in aliis excommunicationibus
huius bullae videti potest: partim quia haec excommunica-
tio lata est ad coercendos potentes, qui raro consilio, & fre-
quentius auxilio, & favore opus a se optatum promouent.
Verum, esto consulentes appellationem sub hac excommuni-
catione Bullae non comprehendantur, tamen sub excommuni-
catione referuata lata a Pio II. in bulla incipiente Ex-
crabilis, & confirmata a Julio II. in Extraneis, suscepti regi-
minis comprehenduntur, vt bene annotatur Viuald. Sayrus,
& Bonac. loc. alleg. Quinimo in dicta constitutione Iulij II.
excommunicatur decernentes, deliberantes, seu vocem dantes,
& approbantes appellationem, quod optime fieri potest
tametsi appellatio non subsequatur. Sicuti aduertit Bonac.
punct. 3. num. 9. in fine.

Aduersus Collegia, Capitula, aliaque Vniuersitates appel-
lantia ad futurum vniuersale Concilium, vel appellationi
auxilium praebentia interdicti poena ipso iure fertur. Nam
cum excommunicati non possint iuxta Textum in cap. Ro-
mana de sententia excommuni. in 6. conueniens fuit, vt inter-
dicto subiacerent. Neque ad hoc interdictum contra eadem
opus est, vt omnes illius communis appellationi consen-
tiant, vel auxilium praestent, sufficit si a maiore parte appel-
latum sit, vel auxilium appellationi exhibitum; eo enim ipso
tota communitas interdicitur. argum. cap. cum inter Canoni-
cos in princ. de electione: & tradit Hugolin. in explicat. huius
censura. §. 1. verbo vniuersitates. Duartus ibi qu. 7. num. 22.
Bonac. 1. 3. d. de censur. in part. disp. 1. q. 1. num. 11. Quod si in
praedicta communitate aliqui Episcopalis, vel Cardinalis
dignitatis existat, ab hoc interdicto eximitur, iuxta expres-
sum Textum in cap. quia periculosum. De sententia excommuni.
in 6. quia in hac poena Episcoporum mentio facta non est,
quod erat necessario requisitum, vt Episcopus, vel Cardina-
lis praedictae poenae subiacerent. Sicuti deciditur in dicto
cap. quia periculosum. Secus est de poena excommunicatio-
nis, si Episcopus, vel Cardinalis vt personae singulares ap-
pellauerint, vel appellationi suo auxilio, vel favore cooperati
fuerint, vt recte aliis relatis docuit Bonacina dicta disp. 1.
q. 3. p. 2. num. 12.

Illud certum approbantes appellationem factam, vel praes-
tantes auxilium, aut favorem appellantis post appella-
tionem hac excommunicatione non ligantur, quia verba legis
solum

solam appellantes, & auxilium ad appellationem prestantes comprehendunt. Vt bene aduertit Suar. disp. 2.1. sect. 2. n. 16. Duard. lib. 2. in exposi. huius censuræ, q. 7. n. 38. Bonac. t. 3. de excom. p. disp. 1. q. 3. in fine.

PUNCTVM. IV.

Expenditur excommunicatio tertia Bullæ aduersus Pyratas aut eorum receptatores, ac fautores.

- 1 Statuitur Textus ipsius Bullæ.
- 2 Nomine Pyrarum, Curfariorum, aut latrunculorum eadem persona intelliguntur.
- 3 In presenti solam excommunicantur Pyratæ, Curfarij, & latrunculi maritimi.
- 4 Negat plures opus esse aliquam deprædationem committi.
- 5 Contrarium probabilitate non caret.
- 6 Hac deprædatio debet esse fidelibus Catholicis irrogata.
- 7 Spoliantes infidelium nauim à Christianis asscuratam non subiiciuntur excommunicationi, etsi contrarium sit probabile.
- 8 Fautores, & receptatores Pyrarum eidem excommunicationi subiiciuntur.
- 9 Remigantes in his Pyrarum nauibus per se excommunicationi subiiciuntur, nisi ob graue periculum excusetur.

Tertio excommunicat, & anathematizat Pontifex omnes Pyratas, Curfarios, ac latrunculos discurrentes per mare Pontificium præcipue à monte Argentario, vsque ad Terracinas, ac omnes eorum fautores, receptatores, & defensores.

Nomine Pyrarum, Curfariorum, ac latrunculorum maritimorum eadem persona diuersis nominibus expressæ intelliguntur. Vt rectè aduertit Caiet. in sum. verbo Excommunicatio cap. 18. Syluest. verbo Excommunicatio 7. num. 55. in excommunicatione 20. vers. primo dubitatur. Tabiena eodem 5. casu 2. vers. quarto. Sayrus lib. 3. thesauri casuum conscientie, c. 7. n. 3. Graffis 1. p. decis. lib. 4. cap. 18. Nam Pyratæ vulgò Curfarij dicuntur, & latrones maritimi, qui si exiguonauigio, & apparatu deprædentur paui Pyratæ, & latrunculi maritimi nuncupantur. Ad hanc tamen denominationem suscipiendam sufficit, si semel tantùm deprædentur, dummodò ex intentione huius deprædationis per mare discurreant. Sicuti notauit Syluest. & Tabiena loc. alleg. Sayrus num. 4. Cardinal. Toletus in explicat. bullæ Cœna. §. 2. Quapropter si ex alia causa, quàm deprædationis mare discurreant, & casu deprædentur, etsi in foro externo Pyratæ censentur, re vera Pyratæ dixi nequeunt, & excommunicationem contra Pyratas effugiunt. Vti tradit Sayr. lib. 3. cap. 7. num. 6. Duard. lib. 2. in explicat. huius censuræ quest. 8. Bonac. tom. 3. de cens. disputat. 1. quest. 4. punct. 1. à num. 5. Vnde qui in dicto bello siue iusto, siue iniusto hostes deprædantur in hanc excommunicationem non incurunt; quia non animo deprædandi, sed vindicandi, & puniendi hostes, sèque ab illis defendendi deprædationem committunt. Vt bene aduertit Syluest. Tabiena, Tolet. loc. all. Sayrus n. 4. Nauarr. c. 27. n. 59. Suar. disp. 2.1. n. 2. 4. & 2. 8. ad finem. Duard. q. 2. n. 5. Bonac. d. disp. 1. q. 4. p. 1. num. 4. & alij.

Olim omnes Pyratæ, & latrones maritimi excommunicabantur, vt constat ex bulla Martini V. relata à S. Antonino 3. part. 2. cap. 72. & ex bulla Iulij II. Gregorij XIII. & Sixti V. At ex bullis Clementis VIII. & subsequenrium Pontificum solum excommunicantur Pyratæ, Curfarij, & latrunculi maritimi, qui mare Pontificum animo deprædandi discurrent. Mare autem Pontificum censendum videtur quod ad Pontificem pertinet etiam mediare ratione feudi, sicuti pertinet mare Thyrenum, & Adriaticum, quod regnum Neapolitanum, Corsicam, Siliciam, & Sardiniam attingit; vt notauit alijs relatis Bonac. dicta disp. 1. quest. 4. punct. 2. numero 4. E contra verò discurrentes per mare sub alterius dominio constitutum, ibique deprædantes, etsi veri pyratæ sint, in hanc ræm excommunicationem non incidunt; quia non comprehenduntur sub verbis Bullæ, ibi mare nostrum discurrentes.

Sed an opus sit aliquam deprædationem committere, vt Pyratæ hanc excommunicationem incurant? Doctores dissentiunt. Negat Tolet. cap. 20. n. 9. Reginald. lib. 9. praxi n. 265. Hugolin. in exposi. bullæ Cœna cap. 3. §. 1. num. 1. Graffis 1. p. decis. lib. 4. cap. 18. num. 67. Duard. in exposi. huius bullæ lib. 2. quest. 4. n. 2. Bonac. t. 3. de excommunicat. in partic. disp. 1. quest. 4. punct. 2. Suar. sub dubio disp. 2.1. sect. 1. num. 19. Quia actio sub excommunicatione in his bullis prohibita est maritimus discursus animo deprædandi: aliàs si deprædatio, mutilatio, vel occisio necessaria foret: vt in bullis Iulij II. & Gregor. XIII. expressum erat, vt quid à tem-

porè Clementis VIII. hæc actiones à Bullis expunctæ sunt? Ceterum probabilitate non caret Pyratas in prædictam excommunicationem non incurere, quousque aliam ex dictis actionibus exerceant. Vt docuit Caietan. verbo Excommunicatio capite 18. Sayrus lib. 3. thesauri casuum conscientie, capite 7. numero 5. Et alij relati ab Hugolino dicto capite 3. §. 1. Quia vsquequo latrocinium maritimum, occisionem, vel interfecionem committant, Pyratæ, & latrones maritimi nequeunt proprie nuncupari quia Pyratæ, & latrones non ab intentione deprædandi, sed à deprædatione ex officio, & proposito facta denominationem recipiunt teste Ambrosio Calepino verbo Pyratæ, & seq. Quapropter verba illa Bullæ mare nostrum discurrentes appolita censenda sunt ad præcedentia, ita vt sensus sit: excommunicamus omnes Pyratas, Curfarios, & latrunculos discurrentes mare nostrum, id est qui mare nostrum discurrent. Vnde cum Pyratæ, curfarij, & latrunculi non sint ante deprædationem hac excommunicatione aduersus piratas lata non afficiuntur, tamen eo animo discurrent. Quod verò Pontifices prædictas actiones mutilationis, occisionis, & deprædationis in alijs antiquioribus expressas omiserunt, id videtur factum quia ea expressio necessaria non erat; siquidem expressio nomine Pyratæ satis subintelligebantur.

Hæc autem deprædatio ex maritimo discursu contingens, vt excommunicationem bullæ inducat debet esse fidelibus, & Catholicis irrogata, non verò infidelibus, & Hæreticis; quia non est credendum voluisse Pontificem infideles, & Hæreticos Ecclesiam impugnantes suâ excommunicatione protegere, argum. cap. excommunicationi. De Raptorib. sicuti notauit Cardin. Tolet. in explicat. bullæ Cœna. §. 2. in fine. Sayrus lib. 3. thesauri casuum conscientie, cap. 7. in fine. Suar. disput. 2.1. sect. 2. n. 2. 1. Vivald. in exposi. bullæ n. 30. Duardus lib. 2. q. 7. num. 2. Reginald. lib. 9. praxi. num. 27. Vnde ad decidendum, An inuadentes, spolianteque nauim infidelium hac excommunicatione afficiantur, inuestigandum est, an ex illa deprædatione fidelibus damnum conferatur, eo quòd merces in vitilitatem fidelium cessuræ ibidem sint repositæ, nam eo casu excommunicatione ligantur Pyratæ; quia verè est fidelibus deprædatio facta. Secus verò, si nullum ex illa deprædatione damnum fideles pariantur. Vti contingit cum merces à fidelibus abducatæ & in iacturam fidelium ab infidelibus asportantur, aufertur. Vt bene aduertit Bonac. disp. 1. quest. 4. p. 1. num. 12.

At quia sæpè contingit infidelium nauim à Christianis asscuratam existimat Bonac. dicta disp. 1. de censur. bullæ q. 4. p. 1. n. 13. spoliantes infidelium nauim à Christianis asscuratam in hanc excommunicationem incurere; quia censendi sunt Christianos spoliare penes quos stat periculum rei asscuratæ. Idem affirmat num. 11. casu quo à Principe Christiano securitatis priuilegium concessum esset; quia cedit ea deprædatio in damnum, & iniuriam Christiani Principis, sique contra voluntatem, & intentionem summi Pontificis.

Sed contrarium in vtroque casu dicendum puto: fautor namque eam spoliationem in damnum Catholicis Principis securitatem concedentis, & in iacturam fidelium asscurationem præstantium cedere. Sed quia huiusmodi damnum per accidens est, neque ex vi deprædationis infidelium necessarè secum: ea de causa non videtur sufficiens ad excommunicationem hanc inducendam. Maxime cum hæc excommunicatione non aduersus damnum inferentes Christianis, sed aduersus Christianos deprædantes statuta sit. At deprædantes nauim, & merces infidelium tamen asscuratæ sint à Catholicis, dici non possunt Catholicos deprædari; cum non deprædentur bona Catholicorum, neque ad Catholicos pertinentia. Ergo in hanc excommunicationem non incurunt. Sic videntur sentire Duardus lib. 2. in exposi. huius censuræ, q. 5. in respons. ad 3. argum. Suar. disp. 2.1. sect. 1. n. 2. Filiucius tract. 16. n. 90. & alij.

Ex eo autem quòd Pyrarum nauim depræderis (si hæc deprædatio in aliorum fidelium innocentiâ iacturam non cedit) nullatenus excommunicationem incurris. Tum quia Pyrarum deprædatio licita est, Cap. si quis 2. §. 9. 3. Tum quia non est credendum velle Pontificem sua excommunicatione protegere eos in quos excommunicationem fert. Tum quia hostibus fidei æquiparantur ex Baldo in authent. nauigia. Cod. de Fieris, & notauit Bonacina tom. 3. de censur. in partic. disp. 1. q. 4. punct. 1. num. 14.

Præter supradictos Pyratas, Curfarios, & maritimos latrunculos excommunicat Pontifex in dicta clausula eorum fautores, & receptatores nempè eos, qui Pyratas recipiunt, ex quorum receptione ad deprædationem mouentur, quippe Pyratas adiungunt in deprædatione. Tum deprædationi cooperando: tum bona deprædata retinendo, si caetero occasio sit nouæ deprædationis. Secus verò si iam à deprædatione cessatum sit; quia eo casu etsi furti teneantur, non tamen fautores deprædationis dici possunt, cum eorum actio deprædationem subsequatur, non antecedit. Vt bene notauit Bonac. dicto t. 3. de censur. disp. 1. q. 4. punct. 1. in fine.

Soleat